



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XXXVII. Argumentum. Quia sub prætextu periculi plures in mutuo committuntur Usuræ; declaratur in hac Decisione, quæ, & quot conditiones requirantur, ut ratione periculi possit exigi lucrum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

Motiva, quibus Laici in Villis persuaderi possunt, ne morentur in januis Ecclesiarum, sed ingrediantur Ecclesias, sacrum Missa Sacrificium audituri, sunt sequentia.

Primum. Quia de hoc extat lex Ecclesiastica prohibitiva in Synodalibus Constitutionibus Patavinis Part. 1. Cap. 10. Vers. Fideles dum rei divina intersunt, fores Ecclesia non occupent. Et dict. part. 1. cap. 11. Vers. Non quis: ubi ita: Non quis sub eadem pena (scilicet interdicti) dum Missa Sacrificio interest, in limine, vel ante fores immoretur, templi vestibulum occupet. At certum est legem hanc non solum obligare ad penam, sed etiam ad culpam; ut docet S. Thom. 2. 2. quæst. 108. art. 4. Sotus de Justit. & Jur. lib. 1. quæst. 6. art. 5. & Fagnan. in cap. si quis. num. 58. in fin. De Regular. tom. 5. pag. 16.

Secundum. Quia, quidquid dicant Theologi de attentione necessaria ad audiendam Missam, an scilicet requiratur interna, vel sufficiat externa, & an sub mortali, vel veniali culpa, ut videre est apud Dianam. part. 3. tract. 4. resol. 101. Quæ in Coordin. est tom. 1. tract. 6. resol. 47. & Tamburin. in Decalog. lib. 3. cap. 2. §. 1. num. 19. negari non potest, immorantes in januis expositos esse periculo multarum distractionum; quarum causa culpabiles coram Deo fieri possunt ex defectu attentionis debitis, & reverentia erga Sacrificium.

Tertium. Quia limen, vel ostium Ecclesie locus est, in quo olim ex Ecclesiasticis Canonibus stare jubebantur Rei gravissimorum criminum, ad agendam publicam Pœnitentiam. Bail. in Summa Concilior. tom. 1. In apparatu de Triplici Verbo Dei pag. 103. Versicul. Duo autem erant genera Pœnitentia; & nunc stare coguntur cum accensis candelis, qui ante contractum Matrimonium Sponsi se carnaliter cognoscunt.

Quartum. Quia, Sancta Mater Ecclesia Deum precatur sua elargiri beneficia non iis, qui in januis, sed qui ingressi sunt Templum sacrum, & intra ejus ambitum continentur, ut in collectis Dedicationis Ecclesie: ibi Ut quisquis hoc Templum beneficia petiturus ingreditur: & ibi Ut quicumque intra hujus Templi ambitum continentur.

Quintum. Quia, qui non ingrediuntur Ecclesiam, vel sistunt in abside, se signare non possunt aqua benedicta, ut ex antiquissimo Ecclesie more faciunt Fideles ad delenda Venialia peccata. Gloss. in cap. Omnis utriusque sexus 12. Verb. omnia de Pœnit. & Remission. & Barbosa de Jure Ecclesiastico Univ. lib. 2. cap. 3. num. 31.

Sextum. Quia commorantes in limine ostii impediunt alios, qui ingressuri sunt Templum sacrum; quod esse officium diabolicum ostendit Catech. Roman. in 6. Petri. Domin. sect. 5. 6. & 7.

Septimum. Quia Regius Psalter pluries hortatur ingressum Templi, non accessum tantummodo ad ostium. Introibo in domum tuam, adorabo ad Templum Sanctum tuum. Psalm. 5. Introite in conspectu ejus in exaltatione. Introite portas ejus in confessione. Psalm. 99.

Octavum. Quia privilegium est filiorum intrare domum Patris, ad ejus Mensam accedere; mancipiorum autem foras stare. Filii tui sicut novella olivarum in circuitu mensæ tuæ. Psalm. 127.

Nonum. Quia mos est Angelorum ingredi; at satellitum stare ad ostium; ut scriptum est de Christi Domini Monumento, quod fuit ty-

lost. Clericali Tom. II. Lib. LX.

pus Ecclesie; nam in eo viderunt mulieres Angelos intus esse; extra autem à Judæis collocati fuerunt satellites, Signantes lapidem cum custodibus, ex Matth. 27. & Marci. 16.

Decimum. Quia imò est signum Prædestinatorum ingredi, reprobos autem attingere januam; ut de Virginibus prudentibus, & fatuis testatur Evangelium dicens de Prudentibus: Et quæ parata erant, intraverunt cum eo ad Nuptias. Matth. 25. De fatuis autem; Domine Domine aperi nobis. ibid.

His motivis dictum fuit, posse per Pastores animarum persuaderi hominibus rudibus, qui solent in januis Ecclesiarum Missam audire, ut intrent Ecclesiam, & devotius audiant. Catech. si qui Viri Nobiles, vel Juvenes audaciores essent, quos non pueret in limine Ecclesie immorari, eos non statim publicè ex Altari reprehendendos; sed secretè summa cum benignitate rogandos esse, notatum fuit, ut velint Templum Domini ingredi; sic enim facile ab eis obeditur Parochis; & eorum exemplo corriguntur rustiores; & ita practitari ab omnibus vehementer Curia Episcopalis exoptat.

DECISIO XXXVII.

ARGUMENTUM.

Quia sub prætextu periculi plures in mutuo committuntur Usuræ; declaratur in hac Decisione, quæ, & quot conditiones requirantur, ut ratione periculi possit exigi lucrum absque labe Usuraria.

SUMMARIUM.

1. Periculi ratione an liceat accipere lucrum ex mutuo?
2. Fidejussor recipere potest lucrum ex fidejussione.
3. Locatio rei periculosa admittit pretium ultra jussum.
4. Labor occasione mutui meretur lucrum.
5. Periculum in recuperanda pecunia facit eam minus valere.
6. Affecutionis contractus est licitus cum lucro ultra sortem.
7. Omnis contractus habet suum periculum.
8. Mutui natura destruitur, si lucrum accipiatur.
9. Periculi nomine lucrum habet processum in infinitum.
10. Periculi nomine nihil accipiendum in mutuo.
11. Periculum vel ab extrinseco, vel ab intrinseco quid sit?
12. Lucrum non est licitum in mutuo ob periculum ab intrinseco.
13. Mutuans cum periculo potest recipere cautiones, non autem lucrum.
14. Periculi causa lucrum potest recipi cum quatuor requisitis. Et quæ?
15. Cap. Naviganti. De Usuris declarationes quatuor.
16. Nemo potest esse creditor, & fidejussor ejusdem rei.
17. Locaturi non est illicitum augere pretium locationis.
18. Labor mentis non est pretio æstimabilis.

Successivè ad majorem explicationem materie de Usuris, quæsitum fuit. An liceat recipere lucrum in mutuo ratione periculi.

Ad hoc Quæsitum, Tres opiniones diversas resperi in responsis hujus Cleri. Nam

H 2

Alii

- 1 Alii affirmarunt. *Primò*, quia fidejussori licet ob periculum, cui se exponit fidejubendo, aliquid pacisci, & lucrari à debitore. Bartol. & Paul. de Castr. in l. Hoc Jure. §. labeo. ff. de Donat. Stracca de Affecurac. in Prafat. num. 45. Maurus de Fidejussor. part. 2. cap. 2. Mantica de Tacit. lib. 16. tit. 2. num. 3. Molina disput. 319. Sed in hoc casu Mutuans gerit vicem fidejussoris pro periculo. Ergo. *Secundò*, quia in locatione equi, si timeat dominus eum nimio labore, fame, vel fuga perituro, potest, ultra pretium locationis, aliquid plus exigere ratione periculi, quod solvi debeat, etiamsi equus non pereat. Card. de Lugo disp. 25. num. 83. *Tertiò*, quia sicut labor corporis in mutuante facit, ut licite possit mutuans exigere lucrum ratione illius laboris. Navar. in Manual. cap. 17. num. 209. Molina disp. 304. num. 3. Tamburin. de Triplici Jur. lib. 9. tract. 1. cap. 3. §. 2. num. 1. Ita labor mentis, quem patitur mutuans, anxius ob periculum illius fortis, tanquam pretio æstimabilis reddere licitum lucrum ultra sortem debet, utpotè distinctus ab ipsa sorte. Cardinal. de Lugo dict. disputat. 25. num. 81. *Quartò*, quia Jus recuperandi centum cum probabili periculo illa amittendi, minus valet, quam ipsamet centum extra periculum. Igitur cum Mutuator det centum in effectu, quæ plus valet, quam alia centum cum periculo recuperanda, poterit ob susceptionem hujus periculi lucrum recipere. Lessius dict. lib. 2. cap. 20. dub. 13. à num. 111. & seq. Salas de Usuris dub. 22. *Quintò*, quia licitus est contractus Affecurationis. Molina de Justit. & Jur. disp. 318. num. 3. & disp. 507. per tot. Gaspar. Anton. Thesaur. Quæst. for. lib. 4. quæst. 77. num. 3. & 4. & Leotard. de Usur. quæst. 23. num. 42. At mutuator ex contractu Affecurationis censetur pacisci de lucro ultra sortem; & ad illud in eundem non videtur incapax, quia à quocumque alio potest iniri, & ipse ex eo, quod mutat, non debet esse deterioris venditionis, quam sit alius extraneus. Ergo licite recipit lucrum ratione periculi; & ita tenet Molina dict. disput. 304. & disp. 356. & Salas ubi supra. Bonacina disp. 3. de contr. quæst. 3. punct. 5. Sylvest. Verbo Usura 1. num. 35. Diana part. 1. tract. 8. resol. 37. Quæ in Coordinato est tom. 3. tract. 2. resol. 41. Et Mattrius dict. disp. 5. num. 67.
- 2 Alii omnino negarunt. *Primò*, Quia Vix aliquid mutuari potest, vel credito dari, quin exponatur capitale aliquali periculo. Igitur si ob periculum concedamus, posse lucrum exigi, magnum ostium erit apertum Usuris. Reb. dict. lib. 9. quæst. 12. num. 1. Cardin. de Lugo dict. disp. 25. num. 84. Cardin. Tolet. Sotus. Navar. & alii plurimi apud Salas de Usur. dict. dub. 22. num. 1. *Secundò*, quia, si pro periculo pretium fumatur, destruitur natura mutui; sicut si pro re commodata exigas lucrum ratione periculi, non erit amplius commodatum. Reb. dict. lib. 9. quæst. 12. num. 2. *Tertiò*, quia si pro periculo capitalis exigi possunt decem pro interesse, etiam pro periculo horum decem aliud interesse exigi poterit, & aliud pro isto alio, & sic daretur terminus in infinitum. Card. de Lugo dict. disp. 25. num. 84. Reginald. lib. 25. num. 246. *Quartò*, quia tale periculum non est separabile ab ipso capitali, & per restitutionem capitalis satisfit toti periculo. Reb. dict. lib. 9. quæst. 12. num. 2. *Quintò*, quia id expresse definitum est
- in Jure Canonico per text. in cap. Naviganti. De Usuris; & ita tenent Conrad. de Contr. quæst. 59. Coroll. 1. & 2. Gutierrez Pract. quæst. cap. 39. num. 30. Sotus de Justit. & Jur. lib. 6. quæst. 4. art. 1. Navar. in Man. cap. 23. num. 81. Fagnanus in d. cap. Naviganti. num. 8. de Usur. Reb. dict. lib. 9. quæst. 12. Reginald. dict. lib. 25. num. 246. Menoch. de Præsumptionibus lib. 3. Pras. 123. num. 5. Azorius lib. 7. cap. 7. in fin. Leotard. de Usur. quæst. 23. num. 17. & num. 27. & alii, quos citat Diana dict. part. 1. tract. 8. resol. 37. Quæ in Coordinato est tom. 3. tract. 2. resol. 41.
- 3 Alii distinxerunt; Vel Periculum provenit ab extrinseco rei mutuatæ, vel ab intrinseco Mutuantis. *Primo modo*, & ab intrinseco est, quando res mutuata sui ipsius causa subjacet periculo; puta si pecunia sit trajicienda extra mare, vel transmittenda per loca latronibus, aut militibus infesta; & in hoc casu ob periculum ita probabile, & manifestum, ab extrinseco procedens, poterit Mutuans licite exigere lucrum ob rationes adductas in sententia affirmativa. *Secundo verò modo*, quando scilicet ab intrinseco ipsius mutuantis procedit, qui formidolus de paupertate, aut fidelitate mutuatarii ob suum timorem vult lucrum percipere; & in hoc casu non licebit lucrum exigere rationibus in negativa sententia consideratis; & ita tenent Canonistæ, quos congerit Covarr. Variar. resol. lib. 3. cap. 2. num. 5. & hanc distinctionem refert Reginaldus dict. lib. 25. num. 246.
- 4 Curia Episcopalis amplectitur hanc tertiam opinionem; adeo ut illicitum censeat exigere lucrum ob periculum proveniens ab intrinseco Mutuantis, & ob ejus solum timorem, atque formidinem; siquidem in eo casu potest sibi consulere, vel abstinendo à datione mutui, vel exigendo pignora, aut fidejussores. Azor. dict. cap. 7. in fin. & Leotard. dict. quæst. 23. num. 28. Quod si periculum vergat ab extrinseco, & à parte rei mutuatæ, tunc admittenda est opinio affirmativa, quod scilicet Mutuans possit exigere lucrum ob periculum; quatuor tamen servatis requisitis. *Primum* est, quod Mutuatarius non obligetur ad accipiendum mutuantem in Affecuratorem, & ad promittendum pro periculo ante mutui dationem, quia mutuari cum hac obligatione est Usura, siquidem talis obligatio est pretio æstimabilis. Molina dict. disput. 318. num. 4. Diana d. part. 2. tract. 8. resol. 37. Reb. de Oblig. Justit. lib. 8. quæst. 4. num. 15. Leotard. de Usur. quæst. 23. num. 7. ubi DD. *Secundum* est, ut ipse mutuatarius paratus sit spontè concurrere in affecuratorem, & solvere aliquid ultra sortem ratione affecurationis; quia si velit dare pignora; aut fidejussorem gratuitum, non esset impediendus. Lopez. de contr. lib. 2. cap. 16. Vers. hanc, autem sententiam, quam citat, & sequitur Leotard. d. quæst. 23. num. 11. *Tertium* est, quod periculum non sit fictitium, vel imaginarium tantum, sed morale, & probabile, ac cum sufficienti evidentiâ. Diana ubi supra, & Trullench. in Decal. lib. 7. cap. 19. dub. 11. *Et Quartum* est, quod lucrum istud sit justum, id est non excedat convenientem quantitatem habito respectu ad majus, vel minus periculum juxta arbitrium boni viri. Molina disp. 318. num. 4. Bonacina d. disput. 3. quæst. 3. punct. 5. num. 2. His concurrentibus, licitum erit lucrum exigere ob periculum.

15. Neque obstat cap. *Naviganti. De Usuris*, cuius resolutio etsi difficilis sit, ut ait Card. de Lugo d. disp. 25. numer. 78. & Fagnanus ibid. n. 13. tamen ad illud dare possunt infra scriptæ resolutiones. *Prima*, quod credendum sit in eo textu omittam esse negativam *Non*, ita ut dixerit Summ. Pontifex, *Usurarius non est censendus*. Ita Fachinus *Controvers. lib. 2. cap. 48.* & Layman. *lib. 3. tract. 4. cap. 16. numer. 13. Vers.* Sed mihi magis placet, quos allegat, sed non sequitur Leotard. *dict. quest. 23. num. 24. Secunda*, quod ille textus procedit in foro fori, in quo præsumitur Usura; periculum verò reputatur merus prætextus. Fagnanus ibid. numer. 21. secus autem in foro poli. *Tertia*, quod habeat locum tantummodò, quando lucrum est iniustum, & immoderatum. *Adrian in 4. sentent. in tractat. de Usur. cap. occurrunt.* *Quarta*, (quæ magis propria, & germana videtur) est, procedere tantum, quando mutuatarius ab initio cogitur, recipere mutuantem in Assurance, ita ut nolit ei dare mutuum, nisi cum hoc pacto, & cum hac obligatione, quæ cum sit pretio æstimabilis, est etiam illicita, & usuraria. Ita passim DD. omnes, inter quos Lupus de *Usur. Commentar. 3. §. 1. num. decimoquinto.* Covarruv. *Var. resol. lib. 3. cap. 2. num. 5.* Molina *dict. disput. 318. num. secundo.* Petr. Navar. de *Restit. lib. 3. cap. 2. numer. 343.* Bonacina *dict. disp. 3. quest. 3. punct. 5. numer. 2.* Azor. *dict. lib. 5. cap. 7. quest. 2. in fin.* Leotard. de *Usur. d. quest. 23. num. 5.* Card. de Lugo *dict. disput. 25. num. 78.* & Mastrius d. *disput. 5. numer. 68.*

Minus obstabunt argumenta, & rationes primæ sententiæ absolute affirmantis.

16. Non primum, quia magna differentia est inter fideiussorem, & ipsum mutuatarium; nam repugnat contractui, ut una, & eadem persona sit creditor, & fideiussor; siquidem fideiussor se tenet ex parte debitoris, & quasi una, & eadem persona censetur cum debitore. *Rebellius d. lib. 9. quest. decima secunda numero septima.* Sed cessat omnis amaritudo, quando mutuatarius nolit subire vicem fideiussoris ex pacto ante mutuum inito, sed post contractum mutui perfectum, ex libera voluntate mutuatarii, ut dictum est in primo requisito.

17. Non obstat secundum de locatione equi; ex eo quia locator est dominus rei locatæ, & potest augere pretium timore periculi rei suæ; & cum in illo casu minimè intret mutuum, neque usura intrare potest, secus autem est in nostro quæsito ob dominii translationem pecuniæ mutuo datæ.

18. Non obstat tertium deductum ex labore corporis ad laborem animi; nam maximum est discrimen; corporales enim labores sunt pretio æstimabiles, sed non etiam mentales; quibus mederi potest mutuator vel petendo pignora, vel fideiussores; lucrum autem pacisci ob mentis laborem ex anxietate animi dubitantis pecuniam perituram, imo auget periculum; ea ratione, quia si timeas exstare periculum in restituendis E. g. decem mutuo datis, eò majus periculum erit in restituendis duodecim; sicut si bajulo non valenti ferre decem, imponeres duodecim ferenda. *Rebell. dict. lib. nono, quest. decima secunda, num. 6.*

Non obstat Quartum, Quia, quidquid sit

de majori, vel minori valore ejusdem summæ ob periculum; cum mutuator velit mutuare, tenetur servare naturam mutui, cuius proprium est, gratis mutuare; quod si timeat periculum amissionis fortis, consulat sibi exigendo pignora, vel fideiussionem, ut benè considerant Reginaldus d. lib. 25. num. 246. & Rebell. d. lib. 9. quest. 12. ubi negat minùs valere centum cum periculo, quàm sine periculo; & quando mutuatarius satisfacit summæ debiti, satisfacit etiam asserto periculo.

Tandem non obstat Quintum: eò quia est, quod ipse mutuator possit esse sibimet etiam Assesor, id intelligendum est cum quatuor supranotatis requisitis, non autem sine illis, vel eorum aliquo, ex Doctoribus supra citatis.

DECISIO XXXVIII.

ARGUMENTUM.

Disputatur, & deciditur, quando mutuans possit nomine pænæ exigere lucrum à mutuario. Differentia inter forum fori, & inter forum poli. Quatuor requisita, ut pænâ exigi possit in mutuo. Interusuria dotalia sunt licita. Alii casus de licita pænæ actione.

SUMMARIUM.

1. Pænâ pecuniaria imponi potest pro observatione contractus.
2. Pacta sunt servanda.
3. Mutuatarius morosus in restitutione peccat contra justitiam.
4. Pænâ pecuniaria adjecta mutuo est usura palliata.
5. Forum fori non admittit pænas conventionales in mutuo.
6. Forum poli concedit pænas in mutuo, sed cum quatuor conditionibus. Et quæ sint?
7. Pænâ in mutuo quando dicatur posita in fraudem legis.
8. Pænâ à mutuario exigi non potest ultra verum damnum mutuantis.
9. Sperellus Episcopus Eugubinus laudatus.
10. Opinio Jurisperitorum in quibus materiis prævaleat opinioni Theologorum?
11. Dotis non soluta interusuria an sint licita?
12. Statutum de interusuriis dotalibus solvendis valet.
13. Pænâ non tenetur solvere mutuatarius, qui non est in culpa.
14. Mutuare ad hoc ut aliud debitum solvatur, non est usura.
15. Scandala sunt evitanda etiam in rebus licitis.

Simili modo, quia aliqui usurarii exigunt lucrum ex mutuo sub prætextu pænæ, quæsitum fuit. An liceat recipere lucrum in mutuo ratione pænæ conventionis?

Ad hoc pariter Quæsitum Tres formatæ sunt Opiniones à nostro Clero.

Prima fuit affirmativa, quia nihil resistere videtur, quin unicuique liceat rationabilem pænâ sibi imponere in confirmationem contractus, & alteri promittere, si non adimpleverit; omne autem promissum est.